



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 12. An est Simonia dare vel accipere pretium pro omissione actûs
spiritualis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

spiritualis temporali æquetur, aut postponatur: quod fit, dum spirituale propter temporale principaliter præstatur. Unde S. Antonin. 2. p. Tit. 3. cap. 5. asserit, esse mortale quærere, aut appetere Beneficia curata principaliter propter honorem, & divitias, quæ ex iis percipiuntur. Et S. Thom. quodlib. 8. q. 6. a. 1. ait: *Si hujusmodi retributiones recipit quasi finem operis sui principaliter intentus, simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habeat principalem finem Deum in tali actu, ad ejusmodi autem retributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quod non vendit actum spirituales, & ita simoniam non committit, nec peccat.* Porro distributiones quotidianæ institutæ sunt, ut Clericorum negligentia in horis solemniter persolvendis earum privatione mulcetur, & hujus poenæ metu impediretur: unde se habent ut removens impedimentum, non ut motivum persolvendi Officium.

Q. 12. *An est simonia dare, vel accipere pretium pro omissione actus spiritualis?*

Resp. Aff. Si ommissio moraliter censeatur procedere à potestate spirituali, & habeat effectum moralem, ex cap. 14. de Si-
 Tom. I. Uu mon.

mon. Nam tunc talis ommissio est revera quidam usus potestatis spiritualis: ideoque nullo pretio æstimabilis ac comparabilis; ut si omittas absolvere à censura vel à peccatis post auditam Confessionem, vel si paciscaris, ut non eligas talem: nam ligatum detinere, vel aliquem rejicere est exercitium potestatis spiritualis, & proinde invendibile. Si verò ommissio actus spiritualis non censeatur in æstimatione prudenti exercitium potestatis spiritualis, neque intuitu rei spiritualis æstimetur, multi docent non esse simoniam, sed turpe lucrum, aut injustitiam, si actus erat jure debitus: ut si accipias pecuniam, ut non audias Confessionem alterius, nam talis ommissio non est exercitium jurisdictionis, sed est duntaxat voluntarius non usus illius, seu potius voluntarius, & naturalis usus libertatis. Est tamen in hoc quædam turpitudine Simonie affinis, inquit Lessius; quia tacite indicatur actum spirituale esse vendibilem; quod in ejus injuriam cedit: si enim est æstimabile pretio ipsum non fieri, etiam æstimabile pretio videtur ipsum fieri.

Q. 13. Quot modis committitur Simonia in materia Beneficiali?

Resp. I. Simonia juris divini est promittere, dare vel accipere aliquid pretio æstimabile pro collatione, electione, præsentatione.